

li supra purpureo-punctati planiusculi, cæterum teretes, toti hispidi, inferiores foliis longiores, superiores iisdem breviores. Stipulæ subnudæ, ciliatæ; inferiores bi-trifidæ, in florente planta pleræque aridæ, fuscæ; superiores, ubi folia usque ad vestigium deficiunt, quadrifidæ; flores bractearum loco stipantes.

FLORES magni congenerum, axillares, subfolitarii, brevissime pedunculati, inæqualibus spatiis ab invicem remoti, per racemum simplicem, pedalem aut bipedalem, non raro etiam longiorem dispositi.

CALYX duplex, uterque extus hispidus setis solitariis fasciculatisque: exterior sexfidus, interior quinquesidus; lobis ovatis acutis integerrimis.

COROLLA patens, pentapetala: petalis bilobis seu obverse cordatis, pallide rubris, striatis, basi albo-flavescentibus, per exsiccationem pallide violaceis, versus unguem flavum viridescentibus.

GENITALIA congenerum, pallide flavescentia. Pollen sphaericum.

CAPSULAE (arilli *Linnei*) plurimæ, calycibus persistentibus & conniventibus conclusæ, nigricantes, compressæ, dorso emarginatæ, sulco hispidulo, marginibus elevatis nervosis.

Tota planta pallida, & quodammodo flavescenti cana.

Crescit in pratis siccis, in arvis, inter segetes, in collibus & montibus per provincias Cumanorum & Jazygum, per Comitatus Hevesiensem, Pesthinensem, Albensem, Veszprimiensem, Zaladiensem, Bacsiensem & Syrmiensem, nec non per Banatum usque ad limites Vallachiae, vix usquam copiosa, sed sparsa; ut saepe in magnis intervallis nullam ejus plantam videas. Floret altero anno a Junio in Septembrem.

Ab *Alcea rosea* differt: radice bienni; foliis cordatis aut ovato-cordatis, obsolete 3-5 lobis: lobis rotundatis; petiolis punctatis; calyce exteriore sexfido; petalis bilobis; & colore omnium partium pallidior. Magis itaque ab illa discrepat, quam sicifolia ab eadem.

Tab. 48.

LACTUCA STRICTA.

Lactuca lævis, foliis inferioribus runcinatis, superioribus pinnatifido-lacinia-
tis, summis integerrimis; floribus corymbosis; caule stricto.

RADIX per omnia similis illi, quam *L. sagittata* nostra (*tab. 1.*) habet: biennis scilicet, anno primo napulum fusiformem, rectum aut varie curvatum, indivisum aut inferne bifidum, extus fuscum, intus album, carnosum, duriusculum formans, qui altero anno incrassatur, difformis & spongiosus fit, radículas emittit, & caulem protrudit. Cum autem semina, non ad imitationem naturæ, dum matura sunt, sed subsequo vere primum & justo serius terræ mandantur; complures plantæ altero anno nondum proferunt caulem, sed tantum folia exserunt: talem exhibet icon sub lit. d.

CAULIS solitarius, erectus, simplicissimus, strictus, plerumque quadripedalis, in fruticetis non raro orgyalis, imo nonnunquam octopedalis, calamum crassitie æquans, sæpè superans, teres substriatus, lævis, nudus, rore tenui cano tectus; hoc deterfo nitidus, totus foliosus, sub florescentia a foliis, marcescentibus basi successive denudandus, factus medulla viridi.

FOLIA tenuia, tenera, nuda, lævia, venosa, subtus pallidiora: radicalia petiolata, obtusa, polymorpha: ovalia, ovata, cordata, & runcinata margine lacinia-
to per petiolum decurrente, lacinia extima maxima sinuato-dentata, reliqua integerri-

ma; caulina acuta, amplexicaulia; inferiora petiolata, runcinata laciniis difformibus dentatis, extima magna irregulariter triangulari; superiora successive minora, pinnatifido-laciniata, laciniis omnibus, etiam extima, irregulariter lobatis, sublanceolatis, cuspidatis, parce dentatis, tandem integerrimis; summa integerrima, hastato ac denique sagittato-lanceolata. Petioli foliorum radicalium semiteretes, supra canaliculati; foliorum caulinarum marginati marginibus a folio utrinque decurrentibus, inferiorum angustis integerrimis, basi in lacinias divaricatas excurrentibus, superiorum successive latioribus, dentatis, dein laciniatis, basi in lacinias incurvas terminatis.

In reliquis notis, etiam odore tetro, sapore amaro, & succo lacteo, cum *L. sagittata* nostra omnino convenit; hinc descriptionem illarum hic repetere supervacaneum ducimus.

Crescit in sylvis & fruticetis ad Agriam inter vineas; ad Parád prope veterem aluminis officinam; ad Budam pluribus locis; ad Csákvár sub monte sylvofo; inter vineas non procul Badatson-Tomaj ad Balatonem lacum; nec non ad thermas Herculis. Floret a medio Junio in Augustum.

Summa, quam indicavimus, similitudo inter *Lactucam sagittatam* & *strictam* diu nos dubios reddidit, an plantæ hæc pro distinctis speciebus, an pro meris varietatibus habendæ sint; sed cultura foliorum formam constantem esse ostendit. Nisi ergo magnum & constans horum discrimen in constituendis speciebus contemnendum sit, diversas species esse, agnoscere oportet.

Spectata definitione *Lactucæ quercinæ*, & ejusdem descriptione, quam *Linnaeus in it. gott. p. 309. edit. germ.* dederat, nostra *L. stricta* cum hac pluribus notis congruit; sed differt radice bienni, tuberosa, acuta; caule altiore, & præsertim inflorescentia in corymbo fastigiato, nec in panicula longa angusta; præterea caule omnino lævi, qui notante cel. *Persoon in edit. Syst. veget.* *Lactucæ quercinæ subaculeatus* est.

EXPLICATIO TABULAE.

- | | | |
|--|---|--------|
| a. Flosculus | } | aucta. |
| b. Calyx reflexus cum semine. | | |
| c. Semen | | |
| d. Planta juvenis initio Maji depicta. | | |
| e. Tuber, sero autumnino erutum. | | |

Tab. 49.

HYOSERIS FOETIDA.

Hyoseris scapis unifloris, foliis pinnatifidis, seminibus nudis. *Linn. syst. veget.*

Leontodontoides alpinus glaber, Eryfymi folio, radice crassa foetida. *Michel. nov. gen. 31. t. 28.*

Lapsana caule nudo indiviso, foliis semipinnatis, pinnis retroversis dentatis. *Hall. helv. n. 5.*

Lampfana foetida, scapo unifloro nudo. *Scop. carn. 2. n. 989.*

RADIX perennis, præmorsa, radículas filiformes, pallide fuscas, 3-5 pollicares emittens, foetida.

SCAPI ex eadem radice bini-quini, 5-7 pollicares, tenues, filiformes, simpli-



Lactuca stricata.